

REGULA CONVERSORUM ORD. CISTERC.

SIVE

Breve & memoriale scriptum de conversatione Laicorum Fratrum secundum Instituta S. Bernardi.

Salubris institutio Patris S. Bernardi, quam suorum cordibus Filiorum lingua ejus tamquam calamus Sapientiae caelestis scripsit, hoc brevi memoriali scripto includitur, ut si extra ea, quae communis consuetudinis Liber continet, aliqua de Conversatione Laicorum Fratrum emerferit dubitatio, habeant saltem Filii Claræ Vallis de Matris auctoritate, quod teneant, ne ab his, quae in ea B. Bernardus instituit, tepida vel temeraria novitate recedant, & attendant, quo lacte simplicitatis aluerit, quos Dominus parturivit; & æmulantes in bonitate, quod bonum est, ad fovenda plantaria Religionis in Fratribus fluente purissima de suo Fonte derivent.

CAPUT I.

Quomodo se habeant in oratione.

Tenetur igitur apud nos in tempore Patris nostri pia consuetudine jam firmatum, quod Conversi omnes eo modo se habent in Choro suo, quo & Monachi in Choro proprio.

Nullus eorum de Choro exit pro infirmitate nisi signo facto ei, qui prior est inter eos: quo annuente ut exeat, jam licite egreditur, subsequente eum eodem priore, vel cui jusserit ipse, qui infirmum Fratrem, si necesse fuerit, ad lectum usque deducet & collocet, & cooperiat eum, aut etiam ante Abbatem ad eum venire faciat, si Frater ipse petierit.

Si quis ex Conversis extra Chorum pro infirmitate sederit, ad omnes *Glorias* surgit de loco suo & inclinatur, sicut & Monachi, qui in Choro psallunt. In Infirmitarium autem, nisi pro gravi infirmitate non deducatur, donec tres dies fuerit extra Chorum.

A Festo sanctæ Crucis usque ad Pascha, dum Nocturnæ Vigiliæ aguntur à Monachis, Conversi septem Consuetudinarias venias, quas pro ordine debent, cum totidem *Pater noster* in stallis suis faciunt, ut multum expediti ab eis, statim finito secundo Nocturno eant ad opera sua.

Ad regulares horas sive Missas, priores Fratres superiora stalla juxta Altare

obtinebunt. Ad gratias autem & refectiorem prætereuntibus junioribus priores in ultimo subsequuntur, & in stallis novissimis remorantur.

Quando ad communionem accedere debent, prior eorum pacem recipit à Ministro Altaris, & deinde pax ab ipso procedit ad alteros cæteros, recipientibus eum ordinem singulis in stallis suis.

Nullus eorum de uno Choro transeat sine licentia in alterum scamnum. In stallis suis sine strepitu alicujus soni suaviter deponere debet, ne alios scandalizet. Quod si quis neglexerit, diurno potu privabitur.

CAPUT II.

Generale Decretum.

In omnibus diebus, quibus Conversi laborant, & Monachi feriantur, primam tantum Missam Conversi audiant. Si quis autem eorum huic Missæ non interfuerit, reddet rationem pro illa eodem die quinquaginta *Pater noster*. Similiter & Conversi de Grangiis faciunt omni die, qua Fratres de Abbatia Missam ex ordine audiunt.

Ad unctionem Infirmi vadunt omnes exceptis Servitoribus, qui post Conventum reficiunt, & Hospitaliis in obsequiis hospitem occupatis, seu etiam Ministris Infirmorum, quos inde recedere ægroantium necessitas non permittit.

Ad defunctum vero cuncti sine exceptione conveniunt, donec in Ecclesiam deferatur & redeunt singuli ad opus suum usque ad Missam, ad quam universi conveniunt exceptis his, qui officinas absque gravi incommodo relinquere fortè non possunt.

CAPUT III.

Quomodo se habeant in Capitulo.

In Capitulum intrant die Dominica statim finita matutinali Missa moventes singuli de stallis suis & suo gradientes ordine, incipientes à Senioribus. In Capitulo qui clamatus fuerit, veniam petet, nullam excusationem faciens objectæ culpæ: quod si præsumpserit, statim disciplinatur.

Si

Si quis eorum, qui intra Curiam sunt, interfuerit, quando Capitulum inchoatur, statim posteaquam intraverit, si de eodem tunc agitur, veniam petat, antequam sederit, pro hac negligentia. Si verò sermo tenetur, dum intrat, sedet prius, finito sermone veniam petiturus.

CAPUT IV.

Quomodo se habeant in Refectorio.

IN Refectorio sunt cum omni disciplina & silentio. Pro excessibus & negligentis, quæ sibi contingunt, veniam petunt coram eo, qui prior sedet. Pitantiam ibi dividere nulli licet, nisi proximis Fratribus ad dextram & sinistram. Si oblatam comedere fortè noluerit, dimittet eam ante se; & signum faciat Refectorario, ut tollat eam.

CAPUT V.

De Magistro Infirmorum.

Magister Infirmarius in Coquina sua cum omnibus solatiis loquatur, stans & sedens, & solatium cum eo, si necesse fuerit. Pro aliquo gravi Infirmo, etiam post *Completorium* loqui permittatur tam ipsi Infirmo, quam solatiis propter eum. In loco determinato loqui potest cum uno Infirmo tantum, utroque sedente, ita quod alii non audiant, quid loquantur. Infirmi, qui longè ab Infirmatorio spatiantur, locum habeat determinatum, ultra quem eis convenire non licet, vel invicem signa facere.

CAPUT VI.

De Fratribus textoribus.

Fratres in Officinis suis silentium teneant, excepto quod Novitio discendi artem ipsam conceditur loqui cum eo, qui docet illum, secundum quod Magister eorum judicaverit satis esse.

CAPUT VII.

Generale Decretum.

Omnibus Conversis nostris generaliter est prohibitum, ne per tertiam personam sermonem in aliquem dirigant. Quod si quis transgreditur, grave inde punietur.

Si quis intra significantum verba sua dimidians siluerit; eodem die accipiat disciplinam, aut die altera, antequam comedat. Si quis autem prius ab altero exinde proclamatus fuerit, mox in Capitulo corporali vindictæ subjicitur. Qui silentium fregerit, eodem die uno pulmento privatur, & in proximo Capitulo

Cod. Regul. Tom. II.

veniam petit, emendaturus culpam ad arbitrium Præsidentis.

Fratres, qui pro solemnitate aliqua veniant de Grangias tempore quo Monachi jejulant, si die Festo redire volunt ad Grangias suas, post tertiam prandent, & sic recedunt. Similiter & Dominica faciunt. Tempore verò quo Monachi non jejulant in diebus ferialibus usque ad Adventum sustinent, aut jejuni recedunt, vel in Grangia, quæ juxta Abbatiam est, comedere permittuntur. Si autem in Abbatia comedunt, regressis ad Grangiam apponitur in cœna dimidia libra panis. Si verò foris, ubi comederint, apponitur integra. Venientes autem & redeuntes tenent silentium, nisi fortè cum Magistro suo loquantur, aut cum alio, quem ad hoc ipse constituerit. Obviantibus non loquuntur, interrogantibus non respondent, nisi pro via aut bestia perdita breviter indicanda. Si quis eos amplius interrogaverit, dicant non licere sibi colloqui cum hospite.

CAPUT VIII.

De Magistro Grangie.

Magister Grangie cum duobus tantum Fratribus colloqui potest, & hoc stando, & interdum etiam, si necesse fuerit, sedendo, sed breviter. Nullus ei Fratrum colloquio jungitur, nisi prius ei signum fecerit.

CAPUT IX.

De Hospitalario Grangie.

Hospitalarius Grangie, si quis ei Fratrum signum fecerit loquendi, locum habeat designatum, in quo loqui poterit. Si autem Magister extra fines Grangie fuerit, poterit Hospitalarius per totam Curiam cum omnibus loqui. Præsente quoque Magistro cum familia & hospitibus loqui potest. Nullam equitaturam habet Magister Grangie, sed cum ad Abbatiam venit, quasi unus ex aliis graditur super pedes suos.

CAPUT X.

De Fratribus bubulcis.

A Festo sanctæ Crucis usque ad Festum S. Martini mox finitis Matutinis omnes Fratres caputia sua suscipiunt & occupantur usque ad diem aliquibus laboribus, ut non vacent. A Festo autem S. Martini usque ad Purificationem, totum illud spatium in frugibus excutiendis impendunt Fratres bubulci. Omni tempore dicta *Prima* jungunt boves ad carrucam suam bini & bini, loquentes pariter in eodem loco. Longius procedentes silentium

H h h 2

tene-

teneant, donec arare incipiant: Quod cum inceperint, loqui possunt in eundo usque ad revolutionem carrucæ, ubi silentium ex consuetudine teneant. Similiter etiam aliis obviantibus eis in arando cessent loqui, ne scandalum faciant audientibus. Ea verò postquam disjunxerint in silentio redeunt ad stabula sua, ubi locum habent determinatum, ubi Magister eorum cum eis loquitur, stando tamen. Tempore messionis & fecationis euntes & redeuntes ad vectigalia sua bini & bini loquantur ad invicem.

Tacent tamen, ut dictum est, & colloquium intermittunt, quando ei ex adverso venientes occurrunt. Refectionem ibi accipiunt, ubi erant, habentes singuli pulmentum suum. Ab eo tempore, quo boves mittuntur ad pascuis, singuli bubulci per vices suas ante bini & bini boves per noctes in pascuis servant, vigilantes vigilias noctium super eos, nec tamen ideo sequenti die prodeunt ad carrucam.

CAPUT XI.

De Pastoribus ovium.

FRatres Pastores ovium mane exeuntes à Grangiis tempore quo non jejuant, accipiant singuli panem in pera sua, & vadunt in pascua ducentes oves. Hora competenti reficiuntur; si quid residuum fuerit de pane suo, domum referunt. Nihil aliud manducare præsumant, etiamsi eis mittatur à quoquam, nisi fortè fructus sylvestres inveniant, quibus eis vesci permissum est.

Euntes & redeuntes silentium tenent ad invicem, & ad omnes, nisi fortè viam alicui demonstrant, ut bestiam perditam indicent, vel de suis perditis breviter inquirent. Cum verò in pascua pervenerint, loquuntur sibi ad invicem & bini, secretò tamen ut alii non intelligant. Reversi domum nullum habent locum assignatum colloquio; sed locum habent ubilibet cum Magistro suo, sicut obedientiæ necessitas exigit.

CAPUT XII.

Generale Decretum.

IN nulla Grangiarum nostrarum caseo aut lacte vescuntur, sed nec ova, nec pisces, nec ullam omnino pitantiam habent, nisi ab Abbacia mittatur, excepto quod ei, qui infirmatur per tres dies aliquando pitantia providetur. Vinum

nec nominetur apud eos, ut illud habeant ad bibendum, quamvis in aliquibus Grangiis vinearum culturam sollicitè & diligenter exercent: generalem pitantiam à nullo recipiunt, nisi ab Abbate, vel Episcopo proprio, aut etiam ab alio Episcopo, qui de Ordine sit.

CAPUT XIII.

De Sutoribus & Pellipariis & Textoribus.

Sutores, Pelliparii & Textores fere fervent ordinem eundem; nemini autem omninò loquuntur, nisi Abbati vel Priori. Si aliquando aliquis Fratrum interrogetur, quid ageret, aut quomodo quid ageret, aut quomodo id agnoverit, extra egreditur, & signo Magistrum advocet, & qualiter agendum sit, diligenter inquireat. Fratres autem de necessitatibus suis Magistro eorum stante, stantes loquuntur, & hoc breviter & silenter. Si autem & aliter loqui voluerint, patienter expectent, donec illo negotio expleto, vel sibi denegato, reversus fuerit. Modo verò cum sibi servientibus stando, vel stando extra loquantur. Conversi autem extra domum propriam silentium teneant, excepto eorum Magistro, qui de opere loquitur necessario.

CAPUT XIV.

De Furnariis.

Furnarii autem cum Magistro eorum ante molendinum, & in ingressu domus ad dextram vel sinistram stantes loquuntur. Ubi verò panis pinfatur, Magister solus loquitur.

CAPUT XV.

De Fullonibus.

Fullones quoque propter aquæ sonitum secretò cum Magistro ipsorum intra domum propriam loquuntur.

CAPUT XVI.

De Fabris.

Fabri cum fabris fabricas sibi deputatas habeant. Si verò Frater aliquis ad alterius fabricam causâ operis perrexerit, signo tantummodo petat, quod indiget, & nihil dicens discedat. Illorum autem Magister omnes fabricas sæpè videat, ut quid singuli operentur, agnoscat.